



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

CLXXXIV. B. Gregorius X. Anno Christi 271. Imp. Oddid. Vacante, Mich.
Palæol. 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

CLXXXIV.

B. GREGORIUS X

ANNO CHRISTI 271.
 IMP. OCCID. VACANTE, MICH.
 PALÆOL II.

Rayn. an.
 1271.

§. 7. 12.
 Spond.

§. 5.

Pontificis subrogandi comitia Cardinalium contentiombus prorogata sunt in añum fere tertium. Demum Cardinalibus sex creandi Pontificis arbitrium permiserunt novem reliqui. Itaque anno 1271. Kal. Septembr. summum Sacerdotium *Thealdo* seu *Theobaldo* Placentino, Archidiacono Leodiensi, quem cum exercitu Christianorum degentem in Syria res pro Christianis ibidem gesta commendabant. (1) Anno insequente veniens

Rayn. an.
 1272.

§. 19.
 Spond.

§. 1. 2.

in Italiam Viterbium se confert, postea Romam, ubi VI. Kal. April. Pontifex inauguratur, diciturque *Gregorius X* Nulla prior huic potiorque cura fuit, quam ut Christianis Terræ Sanctæ compararet subsidium. Eam ob rem Concilium generale indixit Lugdunum, celebravitque profectus eodem. (2) Ut autem auxilia in Syriam mittenda undique acciret, operam dedit rebus Ecclesiæ & Imperii

Rayn. an.
 1273.

§. 28. 35.
 Spond.

§. 2.

in Italiam Viterbium se confert, postea Romam, ubi VI. Kal. April. Pontifex inauguratur, diciturque *Gregorius X* Nulla prior huic potiorque cura fuit, quam ut Christianis Terræ Sanctæ compararet subsidium. Eam ob rem Concilium generale indixit Lugdunum, celebravitque profectus eodem. (2) Ut autem auxilia in Syriam mittenda undique acciret, operam dedit rebus Ecclesiæ & Imperii

perii pacandis, factionibusque *Guelphorum & Gibelinorum*, quæ Italiam omnem habebant sollicitam, extinguendis. (3) Rodulpho I. Comiti Rayn. an. Habspurgenſi Regnum Germaniæ af- 1274. firmavit, (4) curavitque, ut Alphon S. 50. 51. ſus Caſtellæ Rex affectandi Imperii Spond. cupiditatem abjiceret. Rediens in S. 13. Italiam eundem Rodulphum obvium Rayn. an. habuit Lauſanæ, pollicentem jureju- 1275. rando in Cardinalium ac Principum S. 37. 44. cœtu, ſe *Ravennæ Exarchatum, & alias 47. Eccleſiæ terras deſenſurum*. 5. Trans- Spond. greſſus Alpes acceſſit Mediolanum, S. 8. 9. inde Placentiam, atque inde, præ- terivolans Florentiam, cui ob non ſervatas leges pacis cum *Gibelinis*, in- Rayn. an. terdixerat Sacra, pervenit Aretium. 1276. S. 1. Ibi recuperationem Palæſtinæ vol- 14. ventem animo, eoque ſe cum exer- Spond. citu conferre meditantem intercepti S. 1. mors anno 1276. IV. Idus Januar. Pontifex fuit, ſi ab electione nume- res, *annos ac menſes quatuor, & dies de- cem*, ſi ab conſecratione, *annos tres, menſes novem, & dies quindecim*. (6)

ANNOTATIONES.

(1) Hinc, ut eſt apud Amalaricum Hugerium

rium in vita hujus Pontificis tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. part 2. pag. 425. Joannes Cardinalis & Episcopus Portuensis composuit versus, qui sequuntur:

Papatûs munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem patrum fecit discordia iratrum.

Panvinius annotat. ad Platinam pag. 179. Eo tempore nequaquam, ut nunc consuetudo est, Cardinales in Conclavi recludebantur, sed summo mane singulis diebus, si Romæ erant, Laterani, vel in Basilica S. Petri, aut alibi, prout occasio sese offerebat: sin autem extra urbem, in Ecclesia Cathedrali illius Civitatis, in qua tunc commorabantur, unâ conveniebant, perinde ac nostro tempore faciunt, cum congregationem sunt habituri, de Romani Pontificis electione tractantes.

Spondanus ad annum 1271. §. 5. Reperimus alicubi, expetitum tunc fuisse B. Philippum Benitium Florentinum Ordinis Servorum ob insignem miraculorum ejus famam: sed illum re cognitâ apud montem Tuniatum delituisse, quousque facta esset electio alterius. Archangelus Gianius in Annalibus Ordinis Servorum tom. 1. in Centuria 1. lib. 3. cap. 17. pag. 101. Id verò indicant, cum per antiqua Scriptorum traditio, tuam vetustæ ejus imagines Pontifician

tificiam tiaram ad pedes habentes, tum etiam temporum illorum usus, quando in hujusmodi vocatione dissidentibus frequenter Cardinalibus, alii etiam non Cardinales, etiam Regulares & Eremitæ in Pontifices eligebantur. Et in annotat. De Pontificatu videri possunt diffusè in Hist. B. Philippi lib. 2. à cap. usque ad 6. & omnia ferè perstringuntur in Bulla Pauli V. de ejus lectionibus & Officio.

(2) Est Lugdunense II. Oecum. XIV. anno 1274. celebratum. Numerus Prælatorum, qui interfuerunt, fuit quingentorum Episcoporum, Abbatum septuaginta, aliorum Prælatorum mille, ut ait Ptolomæus Lucensis lib. 23. Hist. Eccl. cap. 3. tom. 11. Scriptor. Rer. Italic. pag. 1166. prorsus ut Concilia omnia hætenus celebrata numero superaverit. Adfuerunt Michaëlis Palæologi Oratores. Qui ipsum Palæologum adfuisse existimârunt, errorem Blondi secuti sunt. Præfuit Gregorius X. voluitque regimen concilii esse penes D. Bonaventuram, qui propterea Concilio præsedisse dicitur à Sixto IV. in Constitutione Canonizationis ejus, & à Sixto V. in Decreto, quo cum sanctis Ecclesiæ Doctoribus annueneravit. Sex actionibus trium mensium spatio absolutum est. In postrema Græci processionem Spiritûs Sancti à Patre, Filioque profitentes hæc demum quartâ decimâ vice, ut complurium Latinorum Scriptorum testi-

Conc.
Oecum.
XIV.

Bbb IV monii

monis ostendit Spondanus ad an. 1174. §. 8. in communionem Latinæ Ecclesiæ recepti sunt. Decreta insuper auxilia Christianis bellum gerentibus in Syria adversum Saracenos. Una supra triginta constitutiones editæ ad Ecclesiasticam & Christianam disciplinam sancendam. Harum alterâ Gregorius X. celeri Pontificum electioni consulturus, rata esse jubet ea, quæ in id constituta sunt ab Alexandro III. statuitque, ut in quacunque Urbe contigerit mori Pontificem, in ea erigatur Conclave, & decimo ab obitu ejus die ingrediantur Cardinales singuli singulis contenti famulis Clericis, seu Laicis, vel duobus, si id ipsis indulgeri necessitas postulet: incipiântque novi Pontificis electioni operam dare, nemine expectato. Qui superveniunt, re nondum perfectâ admittantur. *Inclusi nullo intermedio pariete, seu alio velamine omnes habitent in communi.* Nullus ad eos pateat aditus, nullum eis liceat nuntium audire, nullam accipere aut dare epistolam, neminem alioqui sub pœna anathematis. Si post dies tres ab ingressu Pontificem non creaverint, unum duntaxat ferculum tam in prandio, quàm in cœna per sequentes dies quinque illis ministretur, quibus elapsis panis tantum, vinum, & aqua usque ad Pontificis electionem. Leges hæc processu temporis paululum variatæ sunt, explicanturque à Panvino in annotat. ad Platinam pag. 179. *Exstat Gregorii X. decretum cap. Ubi periculum. 2. de elect. in 6. Vide annotat. 6. ad Clementem VI.* (3)

3. Vide annotat. 1. ad Gregorium IX.

(4) Ab hoc Rodulpho propagata est Augusta domus Austriaca.

(5) Sunt in hanc rem Rodulphi diplomata duo apud Raynaldum ad an. 1275.

§. 37. 38.

Prothomæus Lucensis Hist. Eccl. lib. 33. cap. 4. tom. 11. Scriptor. Rer. Italic. pag. 1166. *Tradunt historiæ, quod Rodulphus iuramentum præstitit summo Pontifici fidelitatis Romanæ Ecclesiæ de conservando ipsam, quod habetur dist. 63. cap. Tibi Domino. Tunc etiam restituit Ecclesiæ Comitatum Romandiolæ cum Exarchatu Ravennæ.*

(6) S. Antoninus 3. part. Chron. tit. 20. cap. 2. §. 4. *Sepultus est Aretii summa cum veneratione; multaque circa illius corpus miracula postmodum subsequuta fidem eius sanctitatis indubiam præbuere. Vide Cardinalem Lambertinum De serv. DEI Beatif. & Beat. Canoniz. Lib. 2. cap. 24. §. 36.*

Gregorius X. in constitutione, quæ exstat part. 2. Hist. Eccl. Placentinæ Petri Mariæ Campi, in Regesto num. 118. pag. 410. *Nec mireris, quod bulla non exprimens nomen nostrum, est appensa presentibus, quæ ante consecrationis & benedictionis nostræ solemnia transmittuntur: quia ii, qui fuerunt hæcenus in Romanos electi Pontifices, consueverunt,*

Bbb 2

272

*in bullandis litteris ante suæ consecrationis
minus modum hujusmodi observare. Ex
quibus liquet, nomen Pontificis electi,
necdum consecrati, bullis imprimi non
consuevisse.*

CLXXXV.

INNOCENTIUS V.

ANNO CHRISTI 1276.

RODULPHI REGIS 4. MICHAEL,
PALÆOL. 16.

Rayn. an. 1276. §. 15. 17. 24. 25. Spond. §. 2. 3. **C**ardinales ex præscripto legis lætæ ab Gregorio X. inclusi in Conclavi XIII. Kal. Februar. postridie Pontificem esse consenserunt *Petrum de Tarantasia* Innocentii V. nomine. (1) Hic primus ex familia Dominicanorum Pontifex summus, Aretio profectus Romam, VIII. Kal. Martii in Æde Principis Apostolorum inauguratur. Postero die ad omnes Principes & Præsules litteras scribit de electione sua. Per Legatos missos in Heturiam pacem conciliat inter Lucanos, & Pisanos. Multa & præclara facere pro Ecclesia molientem adorta vis morbi extinguit XI. Kal. Jul. post *mensē quintum* Pontificatus.

ANNO.